



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitvlvm Vltimvm. Cum olim.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](#)

## 120 Decret. Gregor. Lib III. Tit. V. Cap. Ultimum.

### S U M M A R I U M .

Notandum quindam. Scientia eminens in paucis etiam Ecclesiasticis personis repetitur, sed nec requiritur etiam in Episcopo, aliōve Prælato. c. cum non pridem 10. de rennunciatione. multò minus in alijs curatis, & beneficiarijs. Pro cuius intellectu notanda est doctrina Innocent. in c. cum in cunctis, de electione, quod scientia alia eminens est, & alia mediocris, & sufficiens. Eminentem vocat, si quis difficiles quaque quæstiones definire possit, ita ut responsiones in promptu habeat; talis scientia in paucissimis est: alia vero scientia, quam vocat mediocrem, si quis sciat propositas quæstiones, & dubia examinare, ita ut licet responsiones semper in promptu non habeat, tamen per volutis libris inquirere, veritatem comprehendere, aliisque tradere possit, & haec sufficit, quare libros habere oportet Doctorem, & Ecclesiæ Prælatum, atque curatum, & in ijs frequenter versari, alioquin doctrina non augetur, sed quæ antea parta est, temporis ac memorie lapsu paulatim perditur.

### C A P I T U L U M V L T I M U M .

#### Cum olim.

##### P A R A P H R A S I S .

Gregorius IX. mandavit Priori S. Matii, ut G. Diacono in aliqua Ecclesia civitatis, aut Dicœcisis Lucanensis, autoritate Apostolica beneficium provideret; is accepto mandato G. in Ecclesia S. Petri Rectorem instituit, contra opponentes excommunicationem proferens, cum tamen Rektor ejus Ecclesia Collegiatæ per Clericorum electionem fieri soleret; hoc cognito respondit Papa, cum mandatum de providendo beneficio, si quod vacet, vel proximè vacaverit, & intentio Pontificis mandantis, ad rectoriam, vel dignitatem se non extendat, sed tantum de simplici beneficio intelligatur, id est institutionem dicti G. & promulgatam excommunicationem, viribus carere.

1. Nomine beneficij, quod alicui conferri mandat Papa sub classula, qualunque illud sit, non venit Ecclesia, aut dignitas, qua per electionem conferri solet.

2. Ita ut irrita sit collatio, si ab executore, aut delegato, contra commissione factam confertur beneficium aliquod.

Notandum primum. Si Papa mandet Clerico provideri beneficium, non comprehenditur Rectoria, aut dignitas, quæ electione interveniente, confertur, sed tantum simplex beneficium intelligitur; idemque dicendum, et si mandetur, provideri de beneficio qualicunque, quod in Ecclesia vacat, his verbis, non comprehenduntur beneficia curata, aut personatus, aut dignitates, c. cum in illis 10. hoc tit. in 6. Ratio datur in c. quamvis eodem in 6. quod litera beneficiale, cum sint ambitiose, restringi, seu strictè interpretari debent. Consentit c. 1. & 2. de filijs presbyterorum in 6.

Notandum secundum. Non tantum irritum est, quod à delegato, aut executore fit, præter, aut ultra commissione L. diligenter s. f. mandari. Sed etiam acta accessoriæ, seu propter illud, quod commissum erat, pro irritis haberi debet, ut si citaverit, reluctantem excommunicaverit &c. cum enim desit jurisdictio in principali causa, etiam in accessorijs desistere debet. Porro quidnam commissum fuerit delegato, aut executori, pender ex intentione committentis; ea vero ex verbis maxime, secundum materiam subjectam, consideratis desumitur debet; præcipue vero attendendum ad ea verba, quibus dispositio sive mandatum ipsum exprimitur, ac describitur, & non ita ad ea verba, quibus potest inhibendi, compescendi, vel similia adjuncta, seu accessoria comprehenduntur, & describuntur, juxta Clement. 1. § ad hoc. hoc tit.

\*\*

CAP.